



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

XLVII. Vtrum dentur plures infidelitatis species?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

vita aeternae, eademque sola absolute, & simpliciter dicuntur bona pro statu praesenti eleuationis; propterea sunt verissima sententia illa Augustini. Nihil tamen nocent doctrinae a nobis traditae de operibus bonis, propter limitationem illam, ordinis naturalis, minimeque salutaribus.

Art. 1. Ad 3. Nulla in primis est paritas. Quia, deprauata per atheismum ratione naturali circa ultimum finem, nullum superest lumen intellectuale, quod dirigat voluntatem in inducenda ordinatione mediorum ad eundem ultimum finem. In qua porro ordinatione consistit tota ratio honestatis. At, sublata fide per infidelitatem, superesse adhuc potest cum agnata sibi rectitudine ratio naturalis circa Deum, ut ultimum finem naturalem; ac proinde subsequi adhuc potest honesta mediorum ad illum ordinatio. Non igitur tantumdem nocet absolute, & quoad omnia, etiam de facto, infidelitas, atque atheismus; quandoquidem atheismus auferit fidem simul, & rectitudinem rationis naturalis; infidelitas vero solum fidem. Transmisso itaque antecedenti negatur consequentia.

Art. 2. Negari deinde potest antecedens. Non quidem ex eo, quod subsistere possit ratio aliqua honestatis, & bonitatis moralis sublata totaliter actuali ordinatione affectiva mediorum ad ultimum finem, Deum Optimum Maximum, ut indicant Suarez, & nonnulli alij in praesenti, quorum ea doctrina reiecta a me est q. 20. de act. hum. praesertim ad 7. Sed quia impossibile est, ut quisquam omnino, subque omni conceptu, neget existentiam Dei, prout apparet ex dictis q. 1. & 2. de Deo. Et rursus quia est impossibile, ut quisquam peccet peccato simpliciter, & proprie tali, quin actualiter cogitet de Deo, sub aliquo proprio ipsius conceptu, ut apparet ex eadem illa quaest. 20. & 21. de act. hum. Nemo igitur est, aut esse potest usque adeo atheus, quin possit bene moraliter operari pro priori natura ad ipsum peccatum atheismi, vel ad quoduis aliud peccatum.

Art. 1. Ad 4. Dubitari minime potest, quin Augustinus saepe dixerit, atque clarissime, nulla opera infidelium esse bona, sed omnia esse peccata. Neque hoc erat, tot expensis, & descriptione usque adeo effusa probandum a Cornelio Iansenio Iprensi, quod Suarez, Valentia, & alij Theologi, quorum se debellatorem ille facit circa hoc punctum, concesserant iam sponte Lutheri, & Caluini, eiusdem cum Iansenio conatus quoad istam controuersiam. Sed ad demonstrandum insuper erat, ut aliquid concluderetur aduersus sententiam D. Thomae, aliorumque communiter Theologorum, D. Augustinum non agnouisse distinctionem eiusdem D. Thomae, & aliorum superius propositam, inter opera bona salutaria, & non salutaria, seu conferentia, & non conferentia ad consequentiam vitae aeternae, quae consistit in visione Dei immediata; atque in vniuersalibus illis axiomatis suis, nomine bonorum operum, non sola comprehendere voluisse opera salutaria; & similiter, nomine peccatorum, non esse complexum opera indiscriminatim omnia, quae non perducerent ad regnum caelorum, siue alioquin essent irreprehensibilia, ac impunibilia, siue non essent. Haec autem demonstrari usque adeo non possunt, ut opposita omnia demonstrantur quam clarissime, uti apparet ex testimoniis Augustini, quae selegi, & produxi quaest. 7. de gratia ad 2. & quaest. 11. ad 7. in fine. Videatur uterque locus, ne eadem hic repetantur superuacane.

Art. 2. Ex ibi dictis deprehenditur, non displicuisse Augustino agnitionem quorumcumque in Philosophis actuum minime reprehensibilium, ac punibiliu nec non pietatis alicuius secundum quid talis, sed solum confessionem fulgoris ex luce veritatis, ac pietatis simpliciter talis; id est qualem agnoscebant in

illis Pelagiani dicentes, virtutes fidelium, & infidelium esse eiusdem prorsus rationis, utpote habitas ex eadem sola sufficientia natura absque gratia per Christum. Hic nimirum est scopus, quem vnicuique respicit vbiq; Augustinus in eiusmodi loquutionibus. Vnde continentia infidelium negatur similiter esse virtus, & dicitur esse peccatum, non quod necesse omnino sit, eam ex prauo fine vitari, sed quia non disponit subiectum ad optimum simpliciter, seu ad consequentiam summi per visionem immediatam ipsius, ad quam de facto tenentur tendere mortales, ideoque peccant, vel formaliter, vel saltem materialiter, dum suam intentionem restringunt actualiter, & habitualiter ad solum finem ultimum pure naturalem, supra quem sola eleuat, ac manuducit fides, credens Deo super omnia, solaque gratia per Christum quatenus inducit fidem, aut cooperatur eidem. Adde, Augustinum eodem modo negare saepe cognitionem Dei absque gratia Dei, ut conici potest, praetermissis alijs, ex lib. 10. Confess. cap. 6. sub initium, ubi sic habet: *Altius autem tu misereberis, cui misertus eris, & misericordiam praestabis, cui misericors eris. Alioquin caelum, & terra sordis loquuntur laudes tuas.* Et tamen omnes concedunt cognitionem existentiae Dei expertem omnis falsitatis esse possibilem absque fide, & absque gratia per Christum proprie tali. Quidni igitur idem proportionaliter dicatur de actibus voluntatis expertibus omnis malitiae, licet sint ordinis pure naturalis, & elicit absque fide, & absque gratia?

QVÆSTIO XLVII.

Vtrum dentur plures infidelitatis species?

VIDENTUR non dari. 1. Quia vnius formae vna tantum est priuatio. Fidei autem, cuius quae comparatur infidelitas, tanquam priuatio eius, non dantur plures species. Quod est in confesso apud omnes. Ergo neque infidelitatis dantur plures species.

2. Quilibet infidelis recedit totaliter a tota ratione formali obiectiva fidei. Nec enim fieri potest, ut qui non credit Deo quoad aliquem articulum, simul credat eidem quoad aliquem alium articulum, ut dictum est supra quaest. 7. Ergo differentia inter infideles, & infidelitates solum esse potest quoad obiecta materialia, quatenus vnus infidelis dissentit quibusdam a Deo reuelatis, alius vero quibusdam alijs. Diuersitas autem quoad sola obiecta materialia non diuersificat speciem actuum.

3. Vnicuique virtuti morali opponuntur duae tantum species vitiorum, quorum alterum peccat per excessum, & alterum per defectum. Quae de causa dicitur 2. Ethic. a cap. 6. virtutem consistere in medio inter excessum, & defectum. Contra virtutem autem Theologicam est impossibile peccare per excessum. Impossibile siquidem est, ut quis nimis adhaereat Deo sub vlla ratione. Ergo aduersus fidem solum peccari potest per defectum. Vna igitur sola species vitij opponitur fidei, eaque est infidelitas.

4. Diuersitas specifica errorum contrariorum veritati fidei non diuersificat specie infidelitatem. Quia errores contra fidem specie diuersi sunt innumerabiles, ac infiniti, ut innuit August. 1. de Haeresibus prope finem. Infidelitatis autem species non sunt vsq; adeo multiplices. Imo quicumque errant contra fidem, utcumque sint diuersa ea, circa quae errant, vniuniformiter dicuntur infideles. Sublata autem diuersitate specifica infidelitatum ex hoc capite, nihil superest, unde suboriri possit diuersitas illarum specifica.

5. Infide

5. Infidelitas opponitur fidei, sicut desperatio spei, & odiū Dei dilectioni Dei. Desperatio autem, & odiū Dei vnica specie continentur. Ergo, & infidelitas.

Art. 1. Respondetur Infidelitas diuiditur cōmuniter cum D. Thoma q. 10. art. 5. in Paganismum, seu Gentilismum, Iudaismum, & Hæresim. Ratio huius diuisionis & adæquationis eius est. Quia infidelitas consistit in renitentia, & contemptu primæ veritatis, reuelantis, vt dictum est supra. Tripliciter autem contingit reniti quem primæ veritati reuelant. Primò adæquatè, & totaliter; ita vt nihil profus agnoscat tanquam reuelatum à Deo, quod sit verè reuelatum ab ipso. Atque hoc dicitur Paganismus, seu Gentilismus. Secundò inadæquatè, & partialiter; ita vt aliqua ex iis, quæ reipsa sunt reuelata à Deo, agnoscat tanquam reuelata à Deo, & acceptet vt vera, quia sunt ab eo reuelata; alia verò non sic agnoscat, & acceptet. Quod posterius duobus rursus modis contingere potest. Primò nimirum ita, vt quæ reiciit, seu non acceptat, reiciat secundum se tantum, simul eadem nihilominus agnoscendo, & acceptando in figura, & vmbra ipsorum. Quod pertinet ad Iudaismum. Secundò ita, vt ea reiciat, non solum secundum se, sed etiam in figura, & vmbra. Quod fit per Hæresim.

Art. 2. Nempe Iudaizantes dicuntur, qui negant nouum testamentum secundum se, eiusque authorem, & mediatorē Christum Iesum; & tamen assentiuntur veteri testamento tanquam reuelato à Deo, quod erat olim specialiter deinctum Populo Iudeorum. Et consequenter amplectuntur simul nouum testamentum in sua figura, & vmbra, quatenus lex, & Prophetæ fuerunt figura, & vmbra eorum, quæ Euangelium nouiter inuexit. Hæretici vero, sic dicti Græca voce ab eligendo, quasi ex electione propria speciali, & pro libito constituentes peculiarem religionis normam, & dogmata, nec nouum, nec vetus testamentum, aut recipiunt, aut reiciunt integrum, sed ex vtroque interlegunt aliqua pro libito.

Art. 3. Omnes autem errores contrarij doctrinæ reuelate reuocantur ad aliquam ex his tribus classibus. Necessè namque est, vt quicunque deserit doctrinam diuinam, vel eam totam deserat, vel tantum quoad partem; & qui quoad partem, vel nullatenus illam admittendo, vel simul admittendo eandem saltem in figura. Id est, necessè est, vel vt vtrumque testamentum, & vetus, & nouum totaliter reiciat; & is est Gentilis, seu Paganus, vel vt reiciat totaliter nouum testamentum retento veteri; & is iudaizat, vel vt reiciat tantum partialiter alterutrum: vel vtrumque testamentum; & is est hæreticus. Patet igitur, communem eam infidelitatis diuisionem esse adæquatam; tum positiuè, quatenus complectitur totum diuinum per partes eius inuicem oppositas; tum negatiuè, quatenus nullæ aliæ differentię; præterquā purè materiales, sunt possibiles.

Art. 4. Duo sunt, quæ aliquam difficultatis speciem præferunt in contrarium. Primum est; sicut negato nouo potest retineri vetus testamentum, quam diximus vnā infidelitatis differentiam; ita è conuerso, negato veteri, potest retineri nouum testamentum, qui erat error Manichæorum impugnatur ab Aug. in lib. contra Advers. legis; & Prophet. & alibi sæpè. Quæ proinde videtur quarta infidelitatis differentia. Verum est impossibile per se, vt qui reiciit vetus testamentum, non reiciat etiam nouum, saltem ex parte. Quia in notio approbatur sæpè, & clarè vetus testamentum, tanquam traditum à Deo. Necessè proinde est per se, vt qui negat vetus testamentum neget quoque nouum, & sit propterea hæreticus. Vnde Manichæi hoc insuper titulo fuerunt hæretici, eiusdem eatenus rationis cum aliis hæreticis. Præterea nouum testamentum non est figura veteris, sicut è conuerso, atque ideo negatio veteris testamenti, retento nouo, non constituit

specialem infidelitatis differentiam, distinctam ab hæresi, qualis modo est, negare partim, & partim retinere testamentum nouum, & qualis olim fuit, negare similiter, & retinere testamentum vetus.

Art. 5. Alterum est, posse simul, ac indiuisim inesse eidem hæresi, & vel Paganismum, vel Iudaismum. Quia fieri potest, vt professus prius religionem Catholicam incidat deinde in Gentilismum, vel Iudaismum. Qui proinde, quatenus deficit à præhabita fide Catholica, erit hæreticus, & quatenus amplectitur Gentilismum, vel Iudaismum, erit finalis Gentilis, vel Iudeus, vt opinantur Caietanus, & alij in præfenti. Ergo diuisio data non est in partes adæquatè inter se distinctas. Verum hæc difficultas supponit opinionem minimè approbandam, vt aduertit Suarez disp. 16. sect. 4. & 5. nempe Apostasiam à fide esse peculiarem infidelitatis differentiam, indistinctam ab hæresi, atque conuertibilem cum eadem. Quod non est verum, vt patebit ex eius vocis, & rei significatæ expositione.

Art. 6. Apostasia est regressus, seu retrocessio ab instituto priori, eiusque desertio, & sumitur semper in malam partem. In iure quidem civili pro rebellionē aduersus Principem. In Canonico vero, & apud Theologos, cum origine eius vsus ex sacris literis, pro recessu, & separatione à Deo. Idque pro latissime per inobedientiam, & peccatum lethale, corruptiuum gratiæ, & iustitiæ, iuxta illud Eccli. 10. 14. *Initium superbiæ hominis apostatare à Deo.* Secundò strictius per defectionem ab ordine, vel statu religioso, de qua præcipue agitur sub titulo Decretalium de Apostatis, & iterantibus Baptisma. Tertio strictissime, & maxime omnium per abnegationem fidei Catholice prius admittæ. Per solam nimirum defectionem fidei recedit homo totaliter à Deo, sublato ipso etiam initio, diruto fundamento, & conuulsa radice totius iustificationis, quatenus hæc tria sunt indistincta à fide, vt dictum est supra ex Tridentino. Qua de causa dicitur Prou. 6. 12. *Homo apostata vir inutilis.* Qui scilicet, nisi vtile ad vitam æternam, ac placens Deo, facere potest; cum sine fide impossibile sit placere Deo. In hac igitur potissimum postrema significatione vsurpatur ea vox in præfenti.

Art. 7. Nomine autem apostatæ plerumque intelligitur antinomasticè, qui ita recedit à professione fidei Catholice, vt eam reiciat totaliter, nulliusque mysterij assensum retineat, tanquam reuelati à Deo. Sed vocatur etiam apostatæ non raro, quicunque abiurant fidem semel susceptam, tametsi adhuc retineant partem diuinam reuelationum, vt ostendit, productis variis testimoniis Suarez sect. illa 5. n. 4. Vtunque sit, ex consensu omnium est de conceptu apostasiæ, tum antecessio veræ fidei, tum eiusdem iam præhabitiæ desertio. Hinc deducitur cum D. Thom. q. 12. art. 1. ad 3. Suarez supra, & aliis aduersus alios, apostasiam non esse peculiarem infidelitatis differentiam, sed solum circumstantiam eius aggravantem, atque adiacere promiscuè posse cuilibet ex tribus differentiis infidelitatis supra assignatis, & quamlibet ex iisdem existere è conuerso posse separatam ab apostasia.

Art. 8. Primum enim, qui deserit veram fidem iam præhabitam, potest manere cum notitia solius rationis naturalis circa Deum, & diuinā, atque adeo esse Gentilis, seu Paganus. Potest itidem, retento assensu veteris, negare nouum testamentum, adeoque iudaizare. Potest denique partim retinere, & partim negare nouum testamentum, adeoque esse hæreticus. Potest igitur circumstantia apostasiæ adiacere promiscuè cuilibet infidelitati. Quod autem eadem tres differentię infidelitatis dari possint absque apostasia; de Gentilismo, & de Iudaismo nemo dubitat, & demonstratur de hæresi. Quia qui nascuntur in terris hæreticorum, educantur hæreticè, tenent deinde eundem credulitatis,

taris, seu incredulitatis modum, quem tenere parentes heretici, primi que heresum inuectores, ideoque sunt, & ab omnibus communiter dicuntur heretici; non secus, ac posteriores isti, siue baptizati fuerint, siue non. Ratio est, quia omnes hi eadem omnia affirmant, & negant, & omnes possunt de omnibus esse aequaliter instructi. Infidelitas autem consistit in affirmatione, aut negatione illegitima, solumque superaddit in ratione peccaminosa sufficientem instructionem, seu propositionem credendorum. Quapropter heresis perinde dari potest cum, & sine apostasia. Manet itaque tres solas dari infidelitatis differentias, Gentilismum, Iudaismum, & Haereticum; nec apostasiam, siue antonomasticè, siue communiter dictam, esse quartam per se differentiam, sed circumstantiam tantum, quæ cuilibet ex prædictis tribus differentiis adesse, & abesse potest.

Art. 9. Queritur iam: An eadem tres differentiae sint specificæ; an vero purè materiales cum solo discrimine penes magis, & minus ex parte materiæ? D. Thomas in hoc art. 5. q. 10. planè affirmat, prædictas tres differentias esse tres infidelitatis species. Vnde Caietanus, alique Thomistæ communiter tuerentur diuersitatem inter illas propriè specificam. At Valentia, Suarez, & plures alij post ipsos, solam agnoscunt diuersitatem specificam latè sumptam, nempe moralem relatè ad confessionem sacramentalem, & ad alios effectus morales; logicè vero, ac metaphysicè, negant, illas dissidere inter se specie. Ego puto distinguendum, quod est per se, & quod est per accidens, atque hac posita distinctione. Dico, Gentilismum, ac Paganismum differre propriissimè specie per se à Iudaismo, necnon Gentilismum, ac Paganismum, & Iudaismum ab heresi; tametsi fieri per accidens possit, ut detur Gentilismus non differens specie propriè à Iudaismo, & sic de utroque comparatione heresis.

Art. 10. Explicatur simul, & probatur. Quia hereticus, eam partem diuinarum, reuelationum, cui assentitur, tenet, loquendo per se, mouentibus ad id partialiter auctoritate Dei reuelantis, vel argumentis fidei Catholicae. Si enim sola niteretur ratione naturali secundum se, nulli prorsus reuelationi diuinæ, nullique rei, tanquam à Deo reuelatæ assentiretur. Nempe ratio naturalis ex se præcisè, nullòque aliunde superaddito subsidio, auerit potius ab assensu omnium supernaturalium, quatenus supernaturalia sunt, siue intrinsicè, siue extrinsicè talia sint. At Gentilis, nullam acceptans reuelationem diuinam, nullique rei assentiens, tanquam reuelatæ à Deo, nulla ex parte mouetur auctoritate Dei, aut argumentis fidei Catholicae, sed nihili prorsus ea facit. Magis igitur recedit per se à motiuo, & argumentis fidei diuinæ, atque ab ipsa diuina fide, Gentilis, quam hereticus; idque ex vi motiui sui actus. Patet autem vitia dispariter recedentia ab eadem virtute atque ab eius motiuo, idque ex vi motiui ipsorum vitiorum, dissidere inter se specie propriissimè, iuxta dicta cum communi q. 29. de act. hum. ad 3. Patet igitur Gentilismum, & haereticum dissidere inter se specie propriissimè, loquendo per se.

Art. 11. Eadem ferè ratio est de Iudaismo collato cum præcedentibus duobus extremis. Quia iudaizans differt per se à Gentili ad eum modum, quo dictum est de Gentili, & Haeretico, ut patet consideranti. Ab ipso verò haeretico differt, quia iudaizans reueretur per se aliquatenus auctoritatem diuinam, quoad omnes reuelationes, omniæque reuelata. Admittit enim totum vetus testamentum, quatenus reuelatum à Deo, idque, loquendo per se, quia reuelatum est à Deo, & consequenter admittit nouum quoque testamentum, licet non secundum se immediatè, tamen in figura saltem, & vmbra. At hereticus ea, quæ non admittit, nec secundum se immediatè admittit, nec in eorum

figura, & vmbra; atque ideo quoad eam partem, reiciit totaliter, atque contemnit auctoritatem diuinam, & argumenta omnia fidei diuinæ. Differunt ergo similiter specie propriissimè Iudaismus, & haereticus, loquendo per se.

Art. 12. Inquam autem vbique per se. Quia fieri absolute potest; tum, ut quis assentiat iis omnibus, & solis, quæ continentur in veteri testamento; tum, ut quibusdam assentiat, quibusdam non assentiat ex iis, quæ & in veteri, & in nouo testamento continentur; idque præcisè, quia sic audiuit à Patre, & hic ab auctore, vel à tali alio, aut magistro, aut auctore; vel præcisè, quia eadem sibi videntur congruere ratione naturali: ita ut nullum prorsus concipiat affectum obsequiosum, ac reuerentialem respectu Dei, quatenus dicentis ea, quibus assentit, nec vllam retineat in animo æstimationem intellectualem testimonij diuini ratione sui. Quo quidem pacto se gerunt, ut ex pluribus apparet indicis, plerique saltem Iudaizantes, Lutherani, & Caluinistæ, alique similes. Qui autem in hunc modum partiuntur veritates reuelatas, sunt eiusdem formaliter infidelitatis cum Gentilibus, nec ab eis, aut inter se quidquam differunt, præterquam purè materialiter, & penes solam maiorem, vel minorem extensionem dissensus veritatum reuelatarum. Nempe omnes, qui ita assentiuntur, vel dissentiunt, qualiacunque demum sint, & quantacunque obiecta assensus, & dissensus, aequaliter recedunt ab auctoritate diuina, atque ab omni affectu eius, ac æstimatione, sicut æquè recedunt formaliter à medietate, seu motiuo, & virtute iustitiæ furans æquum, & furans vestem, aut pecuniam eiusdem valoris, & furans hæc omnia.

Art. 13. Cum ergo conceptus formalis infidelitatis adæquatè consistat in eiusmodi recessu, & contemptu, respectu primæ veritatis reuelantis, ut superius dictum est; patet tres illas infidelitatis differentias posse per accidens esse eiusdem infimæ speciei propriæ, ac strictè, cum solo discrimine materiali penes magis, & minus ex parte rerum reuelatarum. Verum quia in scientiis solum habetur ratio eorum, quæ sunt per se, & non eorum, quæ per accidens; iure optimo D. Thomas absolute pronunciauit, easdem tres differentias esse tres infidelitatis species; atque Valentia, Suarez, & alii minus bene confuderunt, quod est per se, cum eo, quod est per accidens, atque ad hoc solum posterius intenti fuerit, quasi esset vnicum, & per se, dum absolute dixerunt, illas esse tres species latè tantum, ac impropiè, seu moraliter tantum.

Art. 14. Ex dictis concluditur vltèrius, Gentilismum, cæteris paribus, esse deteriozem Iudaismo, & Haereticismo, tum quoad grauitatem ex parte materiæ, quatenus plus deuiat à regula veritatis, reiciendo omnes indiscriminatim diuinas reuelationes; tum per se quoad rationem suam specificam, quatenus ne partialiter quidem mouetur, ad vllum suum actum, auctoritate Dei reuelantis, sed eam totaliter contemnit. At Iudaismus, & Haereticismus inuicem comparatæ se habent tanquam excedens, & excessum cæteris paribus. Quia Iudæi plerumque errant in pluribus, quàm heretici, & eatenus peccant grauius. Ex alia verò parte heretici, quoad aliqua, reiciunt penitus auctoritatem diuinam, cum Iudæus aliquatenus reueretur eandem diuinam auctoritatem, quoad omnia reuelata, admittendo ea omnia, vel in se, vel saltem in sua figura, idque modo superius explicato, quia reuelata sunt à Deo, unde dictum est oriri per se differentiam specificam inter has infidelitates. Præualeat autem absolute magnitudo ex specie, magnitudini ex parte materiæ. Quapropter haereticus est absolute deterior per se, quàm Iudaismus, cæteris paribus.

Art. 15. Dicitur, cæteris paribus. Quia si quis incidat

in Iudaismum, vel Hæresim, aut alterutri pertinaciter adherere pergat, post maiorem, magisque perfectam, ac dilucidam diuinarum reuelationum propositionem, atque interna illustrationem supernaturalem, quam quæ præfuit gentili; fieri poterit, ut hic excessus adæquet, imo & superet excessum ante explicatum Gentilismi, quoad maiorem desertionem motui fidei, utque propterea euadat gentilismus minoris absolute hic, & nunc malitiæ, quam Iudaismus, vel Hæresis. Nempè magnitudo bonitatis, & malitiæ actuum, pensatur penes magnitudinem obiecti, non secundum se præcisè, sed ut præapprehensi, ac representati voluntari, uti positum est ex communi, dum ageretur de actibus humanis in genere, maxime à quæst. 22. ad 26. Idem dicitur eadem ratione proportionaliter de Iudaismo comparato cum Hæresi. Quia verò Hæretici, ut plurimum, ac ferè semper peccant præuerti maiori longè notitia credibilium, & obligationis credendi, quam Iudæi, & vtrique, quam Gentiles, propterea D. Thom. absolute dicit, & merito art. illo 5. Hæresim esse deterioiorem Iudaismo, & Iudaismum, Gentilismo.

Art. 16. Verum ex hoc eodem capite præualeat malitia cuiuslibet ex his tribus speciebus infidelitatis supra malitiam aliarum duarum, si illi insit, & his desit circumstantia apostasiæ. Quia notitia credibilium, ipsiusque præsertim rationis formalis credendi, habetur, cum maximo excessu, maior per quemlibet actum fidei Theologica, quam per illos alios actus possibiles homini viatori, ut apparet ex dictis supra q. 24. Quapropter Gentilis apostata, seu qui, post præhabitam fidem Catholicam, fit Gentilis, est deterior, quam Iudæus, vel Hæreticus non apostata, & sic de vtrolibet horum comparato similiter cum altero, atque è conuerso. Hæc veritas docetur, luculentè 2. Petri 2. à ver. 20. ad finem, & exprimitur clarè illis ibidem verbis: *Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ quam post agnitionem retrorsum conuerri ab eo, quod illis traditum est Sancto mandato.* Vnde August. lib. 21. de Ciuit. cap. 25. post medium, ubi agit de iis, qui in hæresim, vel etiam in Gentilium superstitionem ex corporis Christi vnitatem, labuntur; *Cum peior vniue sit, inquit, desertor fidei, & ex desertore impugnator eius affectus, quam ille, qui non desinit, quam nunquam tenuit.*

Art. 17. Quia verò circumstantia apostasiæ sæpius inest hæresi, quam Iudaismo; & huic quam Gentilismo: propterea illam maxime considerat ibidem D. Thomas in hæresi, ac deinde in Iudaismo, & minime omnium in Gentilismo. Atque hac præcipue de causa Hæresim absolute statuit supremam malitiæ, Gentilismum infimam, mediè Iudaismum, ut dictum est. Eodem pertinet ratio inconsequentiam ponderata à Chrysost. hom. 50. ad Populum. Inconsequentia enim est manifestior in hæretico, quam Iudæo, cum in Gentili nulla sit. Vnde Hæreticus turpius peccat ex hoc capite, magisque renitente ratione, quam Iudæus, & vtrius horum, quam Gentilis. *Quia impietas Gentilium, ait Chrysost. quandam habet consequentiam; hæc verò impietas (hæresis) neque consequentiam habet.* Et quidem his rationibus malitia cuiusque infidelitatis euadit maior, vel minor intra eandem speciem.

Art. 18. At verò si Apostasia superueniat baptismi, aut voto scorsim emisso de professione religionis Catholice, & de obedientia respectu Romani Pontificis, aut alij peculiari eiusmodi obligationi superaddetur malitia diuersæ speciei. Et similiter inesse potest malitia innumerabiliter diuersa quoad speciem ex diuersitate errorum, & motuorum, ad quos, & ob quos quis conuertitur, dum deserit fidem. Quæ propterea omnia sunt exponenda in confessione Sacramentali, ut obseruant Suarez, ubi supra cum Valentia, Sanchez,

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. I.

& alij post ipsos. Verum hæc posteriores malitiæ sunt extra conceptum formalem, & terminos proprios infidelitatis, & existere non minus potuissent, Deo nihil reuelante, proptereaque nihil necesse est, ut exponantur in præsentia, rationes differentiales illarum. Sed nec exponi omnes methodicè, & adæquatè possent ob multiplicatam innumerabilem ipsarum. Sufficit instituto præsentia scire, quod ex dictis liquet, quæ sint differentiæ formales infidelitatis, quantum, & quale sit mutuum inter eas discrimen, tum per se, tum per accidens; & quotupliciter inter se comparantur quoad magnitudinem malitiæ.

Ad 1. Bonitas actus consistit inadæquatione eius ad suam regulam. Quod vno contingit modo in vnaquaque materia, seu circa numquodque motuum. At malitia consistit in deuiatione à regula. Deuiatio autem potest esse multiplex penes magis, & minus, non solum ex parte materiæ, sed etiam quoad motuum formale. Vnde licet fides sit vna specie, infidelitas potest esse multiplex, non solum materialiter, ac indiuidualiter, sed etiam formaliter, ac specificè per dispares, ac essentialiter dissimiles modos recedendi à prima veritate, ut dictum est. Quapropter, quod assumit obiectio, vnius formæ vnam esse priuationem, est quidem verum de pura priuatione secundum conceptum eius abstractum, non verò de formis incompossibilibus cum vnaquolibet forma, continentibus in se priuationem eius coniunctam cum entitate positiua multiplicabili specificè modo dicto. Infidelitas autem, de qua hic agitur, non est pura priuatio fidei secundum conceptum abstractum, sed est actus incompossibilis cum fide, & habens vim positiuam remouendi ab adhesionem ad primam veritatem.

Ad 2. Remouet quidem qualibet infidelitas à tota fide, totalitate omnis fidei infusa. Quod solum coniungit obiectio. At non remouet necessario qualibet infidelitas à tota fide, totalitate recessus, & elationis ab ipsa fide, sed vna infidelitas potest longius ab ea remouere, atque deterius, & ut ita dicam, irredibilis disponere animum aduersus fidem, idque ex vi sui motui specialis, ut dictum est. Vnde vna infidelitas potest differre ab alia, non solum extensiuè ex parte materiæ, sed etiam intensiuè comparatione motui, atque adeo specificè.

Ad 3. Tamen vitia opposita vnicuique virtuti morali includantur sub duplici classe, altera excessus, & altera defectus; sub vtralibet nihilominus classe possunt vterius multiplicari plures species vitiorum, ratione maioris, & minoris recessus à virtute modo dicto. Quia de causa dantur plures species iniustitiæ, tamen virtus iustitiæ non interiaceat duobus eiusmodi extremis, inuicem separabilibus, ut dictum est in loco. Eadem igitur ratione idem accidere potest respectu fidei, tamen aduersus ipsam, & relatè ad motuum eius formale peccari non possit, nisi per defectum. Quia nimirum defectus potest esse dispar, atque essentialiter dissimilis ex vi motuorum deficiendi, ac recedendi à virtute, & eius motiuo.

Ad 4. In erroribus contrariis fidei duo considerantur, ut notatum est supra, sicut & in aliis vitiis. Primum est recessus à motiuo fidei, & indispositio animi inde proueniens, ad credendum Deo. Alterum est accessus, & adhesio ad motiuum peculiarium. Ex his autem duobus, tantummodò illud primum pertinet directè, & formaliter ad conceptum infidelitatis. Quia inde solum habent errores, ut opponantur directè, & formaliter fidei. Ostensum porro est, errores omnes triplici eatenus differentia adæquatè contineri. Ex secundo verò cap. conuersionis ad motiuum creata diuersa, conceditur, errores posse innumerabiliter multiplicari specie. Verum quia ista diuersitas non variat formaliter, & directè conceptum infidelitatis; propterea non agitur de ipsa in præsentia,

FFF nisi

nisi indirectè. Nimirum præcisè quatenus inde redundare potest illa alia diuersitas formalis infidelitatis. Quod ipsum, dictum itidem est, non nisi tribus modis contingere posse, quibus est communis infidelitas secundum conceptum genericum, continentem sub se totidem species infimas.

Ad 5. Conceditur paritas. Sed negatur, non opponi, tum spei, tum charitati, vitia similiter specie diuersa, vt infra exponetur præsertim circa spem.

QVÆSTIO XLVIII.

Vtrum actus contrarij spei sint peccaminosi?

IDENTVR non esse peccaminosi. 1. Quia omne peccatum consistit in nimia prosecutione proprij boni, cum auersione à Deo, vt habetur ex August. lib. 1. de lib. arbit. cap. vlt. Hoc autem conuenire nequit actui contrario spei. Quia de conceptu spei Theologicæ est, vt feratur in summum bonum proprium sperantis, vtque illud firmissimè amplectatur. Impossibile porro est, vt quis nimis prosequatur bonum proprium, per actum oppositum summæ prosecutioni sibi sui boni. Impossibile igitur est, vt quis peccet per actum oppositum spei.

2. Absque fide promissionum diuinarum sperare nemo potest. Quia spes dependet essentialiter à fide, quoad omnes suos actus, vt dictum est supra q. 34. At neque cum fide promissionum diuinarum stare potest actus contrarius spei. Quia qui certo, ac infallibiliter cognoscit existentiam causæ boni desiderati, eandemque causam esse omnino sufficientem, & optimè dispositam ad illud inducendum, nequit desperare de futuritione talis boni. Nec enim fieri potest, vt videns arborem optimè dispositam intrinsecè, & extrinsecè ad ferendos fructus, desperet de fructibus, & sic de similibus. Ergo neque sine fide, neque cum fide dare potest simultanea potestas proxima ad actum spei, & ad actum oppositum. Est autem de ratione actus peccaminosi, vt sit liber, vtque procedat à potentia proxima simultanea ad ipsum, & ad oppositum. Ergo actus oppositus spei in nullo euentu potest esse peccaminosus.

3. Actus oppositi spei, alij sperant plusquam oportet ex. gr. remissionem peccatorum absque emendatione, & penitentia, aut gloriam absque meritis, alij non sperant quantum oportet, ex. gr. auxilium gratiæ ad emendationem, & penitentiam, aut gloriam peracta penitentia, seu faciente peccatore, quantum in se est. Neutri autem actus videntur peccaminosi. Quia priores actus procedunt ex magna estimatione misericordiæ, & meritorum Christi; posteriores verò ex magna pariter estimatione iustitiæ Dei, & enormitatis præcedentium peccatorum; ac proinde utrumque genus actuum procedit ex bona radice. Repugnat autem actus procedentes ex bona radice esse malos. Quia *arbor bona non potest malos fructus facere*, ex Matth. 7. 18.

4. Omne peccatum est contra legem Dei, quæ continetur in Decalogo. In decalogo autem nullum est præceptum de spe.

Art. 1. Respondetur. Actus, & habitus oppositi spei nullum habent nomen vniuersaliter commune, sicut actus oppositi fidei; cum tamen expediatur de illis non minus, quam de istis sermonem prius communem, ac vniuersalem instituere indistinctè, ne, iuxta observationem generalem Philosophi lib. 1. de part. animal. cap. 4. & 5. pleraque eadem, aut ferè repetantur de desperatione, & de præsumptione, quæ sunt differentia communiter contraria spei, si de utraque

solum agatur seorsim in specie, vt accidit communiter auctoribus in præsentia. Sermo verò vniuersalis euadit incommodus, ac valdè impeditus absque voce simplici vniuersali. Possunt autem vitia opposita spei dici insperatio; sicut dicuntur infidelitas, quæ opponuntur fidei. Ita insperatio, si sit purè negatiua, id est, consequens ad totalem sperandi impotentiam, adeoque minimè libera, & certissime non est peccatum imputabile seorsim, secundum se, sed est pura catenu peccati. Quia libertas immediata indifferentiæ est de conceptu peccati imputabilis seorsim ratione sui. Quia de causa damnati non peccant ex eo præcisè, quod non sperant, vt supponitur communiter cum D. Thoma quæst. 20. art. 1. ad 3.

Art. 2. At insperatio immediatè libera, & contrariè opposita spei, seu coniuncta cum neglectu, ac depicientia motui sufficientis, ac necessarii ad sperandum, sufficienterque propositi, manifestum proculdubio, & grande peccatum est, contradicens præcepto illi naturali diuino, quod exprimitur Psal. 61. 8. *Sperate in eo omnis congregatio populi*; id est omnis genus hominum. Vbi est ponderanda contrapositio, quæ mox sequitur vers. 10. *Nolite sperare in iniquitate*. Supponitur nimirum, nullum mortalium absque aliqua spe viuere, ac operari posse. Necesse namque est, vt omnes præfigant sibi finem aliquem vltimum, ad quem deinde referant omnes suas operationes, vt dictum est quæst. 1. de act. hum. Hoc autem fieri minimè potest non præconcepta spe de consequutione eiusdem illius finis. Quia nemo desperans de fine, vt dicit Philosophus, seu quin speret consequutionem finis, operatur. Necesse igitur est, vt spes ab vnoquoque reponatur vltimatè, vel in re creata, & bono commutabili, vel in bono incommutabili, & increato. Primum horum est manifestè inhonestum, & valdè dedecens, grauitèrque peccaminosum, vt apparet inter alia ex q. 2. de act. hum. Igitur alteri prætermitti non potest absque grauissimo peccato. Ex ipsa itaque natura rei apparet, contineri præceptum, & non solum consilium in prædictis verbis: *Sperate in eo omnis congregatio populi: Nolite sperare in iniquitate*. Eadem ponderatio cadit in illa Apostoli verba 2. ad Timoth. 6. 17. *Diuitibus huius sæculi præcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo vivo*.

Art. 3. Bene porro habet, & coheret optimè, quod spei in Deo contraponit David spem in iniquitate, & Apostolus spem in diuitiis. Quia nomine iniquitatis, vt contraposita Deo, intelliguntur omnia, & qualibet bona temporalia, quatenus nemo, nisi inique spem in illis reponere potest, eisdemque adherere, tanquam potentibus inducere beatitudinem. Apostolus verò eadem omnia bona temporalia comprehendit sub nomine diuitiarum, quatenus illa omnia continentur in istis eminenter, vt dicit Philosophus de peccunia lib. 1. Polit. 6. & 7. Eadem vniformitas Davidis, & Apostoli apparet ex ratione spei reponende in Deo, superaddita ab utroque. Quia in Psalmo subiungitur: *Deus adiutor noster in æternum*. Et Apostolus dicit: *Sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum*. Itaque ratio præcepti de spe Theologica fundatur in impossibilitate hominis, vt viuatur, & operetur absque spe aliqua de sua beatitudine, & vltima felicitate, & in indecentia, ac fæditate, vt eam spem committat rebus creatis, & non potius Deo. Quia de causa nemo potest talem spei deuiationem facere in sensu composito timoris Dei, vt colligitur ex illo Eccli. 2. 9. *Qui timeris Dominum, sperate in illo*.

Art. 4. Ex his apparet, præceptum de spe vltimi finis reponenda in Deo consequi necessariò ad naturam humanam secundum se, vt tradit Suarez disp. 2. de spe sect. 1. fine, destitutus, vt ipse dicit, priorum auctorum exemplo. Quia homo est intrinsecè ordinatus ad